



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Complectens Constitutiones à Clemente X. & Innocentio XI. editas

Luxemburgi, 1739

CXXXIX. Primatus in functionibus, & jus Processionis pro FF.
Prædicatoribus contra Min. de Observ. in Quitensi Provincia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74708](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74708)

Clausula.

ritate Apostolica tenore presentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolica firmitatis robor adjicimus, ac omnes, & singulos Juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

§. 3. Decernentes eandem presentes literas, & Constitutiones praeinsertas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: Sicque in praemissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, & quatenus opus sit dicti Ordinis, aliisque quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & Consuetudinibus, privilegiis quoque Indultis, & literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores, praesentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanentibus, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

§. 5. Volumus autem ut earumdem praesentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in Judicio, quam extra illud ubique locorum habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur si forent exhibitae, vel ostensa.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die XXII. Februarii MDCLXXXV. Pontificatus nostri anno Nonno.

CCCCIX.

Confirmatur Decretum Congreg. Rituum de Primatu in functionibus, & jure Processionis peragenda pro Fratribus Praedicatoribus contra Fratres Minores de Observantia in Quiteni Provincia.

De hujusmodi primatu pro Fratribus Observantibus vid. Const. ed. 1685., Jan., 25., P. 9.

Dat. 26. Mar. 1685. An. 9.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

EManavit nuper a Congregatione Ven. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus praepositorum ad favorem dilectorum filiorum Fratrum Provinciae Quitenensis in Indiis Occidentalibus Ordinis Praedicatorum Decretum, tenoris, qui sequitur, videl. In Causa Quiten. praecedentiae proposita per Eñum, & Rñum D. Cardinalem Pamphilium pro Patribus Dominicis Provinciae Quiten. contra Patres S. Francisci Minor. Observan. ejusdem Provinciae, Sac. Rituum Congregatio auditis, ac discussis juribus hinc inde deductis, atque allegatis ab utraque Parte, & informante, censuit decernendum esse, prout decrevit ad favorem Patrum Dominicanorum, tum quo ad praecedentiam eisdem Patribus Dominicis debitam supra praefatos Patres S. Francisci Minor. Obser. in omnibus actibus publicis, & Processionibus, tum quoad Jus peragendi Processionem Dominica intra Octavam Corporis Christi privative quoad dictos Patres Franciscanos, & signanter in Civitate Quiteni. Ac

Decretum praedictum, quo etiam declaratur, licere Franciscanis eandem Processionem intra Clausura instituire.

insuper declaravit licere praedictis Patribus Franciscanis eadem die Dominica infra Octavam Corporis Christi facere Processionem intra Clausura eorum Conventus, & Ecclesiae, & ita sancivit, & servari mandavit die 10. Februarii 1685. N. Card. Lud. Bernardus Casalius Sac. Rituum Congr. Secr.

§. 1. Cum autem, sicut dilectus pariter filius Ignatius de Quafadi dicti Ordinis Fratrum Praedicatorum Professor, in Sacra Theologia Magister, ac dictae Provinciae Quitenensis Procurator Nobis subinde exponi fecit, ipse Decretum hujusmodi, quo firmius subsistat, & servetur exactius Apostolica confirmationis nostrae patrocinio communiti plurimum desideret: nos ipsum Ignatium Procuratorem specialibus favoribus, & gratis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, Censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum praesertim auctoritate Apostolica tenore praesentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicae firmitatis robor adjicimus, salva tamen semper in praemissis auctoritate praefatae Congregationis Cardinalium.

Preces Procuratoris Praed.

Confirmatio relati Decreti.

Clausula.

§. 2. Decernentes eandem praesentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari: sicque in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXVI. Martii MDCLXXXV. Pontificatus Nostri Anno Nonno.

Conceduntur Indulgentiae perpetuae Clericis Saecularibus in communi viventibus.

CXL.

De Indulgentiis concessis similibus Congreg. Presbyt. Saecularium B. M. V. Assumptae vid. Constitut. ed. 1683., Maii 20. P. 7. De Privilegiis vide horum Clericorum Constit. ed. 1685., Feb. 9. P. 9., & ibi notata.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

CUM nos Institutum, & Constitutiones Clericorum Saecularium in communi viventium auctoritate Apostolica confirmaverimus; Et (sicut accepimus) iidem Clerici in vinea Domini ad animarum salutem strenue laborent, multaque pietatis, & Christianae charitatis opera assidue exercent: Hinc est, quod nos felici eorum in via mandatorum Domini progressui, dictique Instituti ad Dei Gloriam, & Ecclesiae Catholicae, cui superni dispositione consilii, meritis licet imparibus praesidemus, utilitatem, specialemque Christianifidelium aedificationem propagationi, & incremento, quantum

Causae Constitutionis.

Dat. 11. Apr. 1685. An. 9.

Nobis